

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xi [i.e. x]. Unitas individualis & numerica desumitur ab ipsa rei singularis entitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

poni his pluralitatibus materialiter acceptis,
id est, cum substantia unitatum consurgen-
tium ex divisione compositi substantialis vel
integralis, sed cum pluralitate accepta forma-
liter, id est, cum negatione unionis, seu cum
unitatibus illis, quatenus sunt divisæ.

X. Unitas alia est individualis, numerica,
materialis, seu absolute realis, & est indivisio
rei singularis in se, & divisio ejus à quavis alia
re singulari. Desumitur ab ipsa rei singula-
ris entitate; (inde enim habet unitatem nu-
mericam, unde habet suum esse intrinsecum)
sive principium intrinsecum individuationis
est tota cuiusque rei entitas, & non materia
sigillata, seu affecta quantitate aliisque acci-
dentialibus, cùm res spirituales habeant suam u-
nitatem & materia carens quantitate adhuc
esset hæc numero materia: neque sola forma,
cùm materia absq; forma adhuc esset una. A-
lia est unitas formalis, per quā essentia aliqua,
v.g. humana dicitur una, quamvis sit divisa in
plura individua, sive est indivisio essentiæ in
se, & divisio ejus à quolibet alio. Malè ex-
plicatur hæc unitas, quod detur ante opera-
tionem intellectus unitas essentiæ, vi cuius ea-
dem natura humana sit in Petro, Paulo &c.

idem animal in Petro, equo &c. sic enim nunquam Petrus poterit annihilari, quin simul annihiletur humanitas omnium hominum, animalitas omnium animalium &c. annihilari quippe est, rem ita destrui, ut nihil rei remaneat. Et positâ hac unitate formalis distinctâ à numerica, non dabuntur nunc plures homines, sed unus homo, uti datur unus Deus, quia eadem natura divina immultiplicata est in tribus Personis. Melius itaque dicitur, quod Petrus ante operationem intellectus sit unus formaliter & essentialiter cum Paulo, non quod habeant unam eandemque numero essentiam, sed quod habeant essentias similes, adeoque hæc unitas formalis consistat in similitudine substantiali (hanc enim Arist. ad distinctionem similitudinis, quâ duo quanta, duoque qualia sibi sunt similia, vel æqualia, non propter entitates suas, sed propter superadditam sibi quantitatatem vel qualitatem, vocat unitatem seu identitatem) quâ ante operationem intellectus individua sibi sunt similia, vel in tota essentia (quæ similitudo dicitur etiam unitas formalis specifica fundamentaliter) vel in parte essentiæ, quæ dicitur etiam unitas formalis

malis genericā fundamentaliter, utpote p̄-
bens intellectui fundamentum afficiendi ca-
dem individua unitate extrinseca specificā
formali seu universalī. Alia demum est unitas
universalis seu rationis, quae convenit rebus
extrinsecè ab intellectu cognoscente res mul-
tas per modum unius; hic enim cognoscendō
res, quae à parte rei dividuntur, ut homo &
equus, ita confusè, ut vi cognitionis illus
sciat quidem, se cognovisse animal, non pos-
sit tamen distinguere, an, quod cognovit, sit
equus, an homo, facit, ut homo & equus di-
cantur indivisa per intellectum, seu unum
ratione.

XI. IDENTITAS sumpta fundamentaliter & negativè non distinguitur ab unitate; sumpta formaliter relativè ac quasi positivè, superaddit unitati relationem rationis, quā res unā bis cognita secūm comparatur, & ad se ipsam refertur. Sic Petrus ante omnem in-
tellectum est secūm idem negativè, id est, non
est distinctus à se, est item fundamentaliter
idem secūm, id est, dat intellectui causam, ut
si illum semel cognitum cognoscat iterum,
judicet, esse eundem cum illo, quem ante
cognorat; dumq̄ue intellectus eundem ad

ſ 3

ſeip-